



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

IV. Quod subdiaconis carnale coniugium denegetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

multum nos ea quæ a te pie sunt curata lœtificant, ita nimium ea quæ perperam sunt gesta contristant. Et necesse est, post multarum experimenta causarum solicitius prospici, & diligentius præcavéri: quatenus per spiritum caritatis & pacis omnis materia scandalorum de ecclesiis Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præminentē quidem in illis prouinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.

II.

^{25. quest. 1.}
Igitur secundum sanctorum patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.

III.

In ciuitatibus, quarum rectores obierunt, de substi-tuendis episcopis hæc forma seruetur: vt is qui ordinandus est (etiam si bona vitæ testimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vnam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi vi-duam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est elec-tio, ut hæc quæ in aliis ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

IV.

Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiae pu-ritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: *vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio seruan-dum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali ho-nori, aut episcopal excellentiæ quisquam idoneus existi-metur, qui se a voluptate vxoria necdum frenasse dete-gitur.

V.

Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consen-

Dift. 32.
Omnium
facerdotū.

1. Cor. 7.

In Decret.
Iuo. lib. 3.
dist. 63. Si
forte.